Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36553
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



niam nullus regressus. HOMO Verum dicis. narras mihi quod
oportunum est. informas me. quod magis mihi expediat. Ecce scio.
noui. didici istud. Illud ite quero illud scire uolo. illud nosse maxime
cupio. Si est spes in confessione. si est fiducia. si est remissio. si est
uenia. si est indulgentia. si est locus per penitentiã redeundi
ad iustitiam. RATIO Est plane. est prorsus. est utiq. est p-
fecto. est procul dubio. Confessio sanat. confessio iustificat. confes-
sio peccata ueniam donat. Omnis spes in confessione consistit. in confes
sione locus misericordie est. Certissime igitur crede. nullo modo he
sitet. nullatenus de misericordia di desperes. Habeto spem in confessio
ne. habeto fiduciam. Non desperes salutẽ. si ad meliora conuerteris.
Quis enĩ ueniam de peccato desperat. plusse de desperatione quam
de commisso scelere dampnat. Desperatio auget peccatum. despe-
ratio peior est omni peccato. Corrige igitur te. & indulgentie habe-
to spem. Depone iniustitiam. & spera uitam. depone iniquitatẽ. & spe-
ra salutem. Nulla tam grandis culpa est. que non habeat ueniam.
Quamuis enĩ peccator sis. quamuis sceleratus. quamuis infandis cri
minib. oppressus sorde. non denegatur tibi penitentie locus. Facile pe
nitentib. diuina clementia subuenit. per penitentiam indulgentia dat.
per penitentiam delicta omia abstergunt. HOMO Heu miserũ me.
Spem perdideram. fiduciam amiseram. Diffideram animo. fractus fuerat
animus. in desperationẽ pene. conciderat animus. Iam regressus sum ad
spem. iam recepi fiduciam. spem indulgentie iam habeo. De pietate di spe-
ro. de bonitate di non dubito. Habitabo iam in spe. erexit me ad spem pietas
eius. dedit mihi spem uite in penitentia. Si ds igitur respexit. si auxili
um mihi accesserit. si ad implendum quod cupio adiuuerit. hoc facere
decreui. hoc statui. defixum hoc in animo meo est. euelli hoc ab animo
meo non potest. RATIO Ds tibi optata tribuat. ds uotis tuis
faueat. Ds uotorum tuorum te cõpotẽ faciat. ds uolũtatẽ tuam in bo-
no perficiat. Ds uota tua confirmet. ds uotis tuis suffragetur. omia dõ fa-
uente agas. Ergo age dum licet. dum mors moratur ora. Iam pete. obsecra.
non taceas. Erumpe inuocẽ. exclama fortiter. Plange iniquitates tuas.
mala scelerum tuorum deplora. Que prauo gessisti. fletib. dele. que inlicite